

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, diè Jovis quarto mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLVIII.

M. NATALI-MARIA DE GEVIGLAND, Doctore Medico, Præside.

An Hydropi, Venæ-Sectio?

I.



FLUIDUM corporis nostri partibus omnibus alluendis; functionibus quibuslibet obeundis destinatum, ut ut homogeneum primo intuitu majoribus in vasis appareat, reipsâ tamen heterogeneis constat moleculis nonnisi assiduo motu, efficacique solidorum actione inter se commiscendis. Vasorum actio si deficiat, sponte dissolvitur sibi relicti sanguinis crasis, secedu..tque tenuiora à crassioribus. Porrò duæ imprimis celebrantur humo-

rum ſpecies inſigniores, hæc ſeri nomine, aquea & tenuior, ex qua producitur lympha quæ propriis gaudet vaſis, nuncque publicas circuire vias, nunc ſuis exſpatiari amat. Illa globuloſa & craſſior genericum ſanguinis nomen retinet, unicamque vaſorum ſeriem novit. Ambæ per ipſam vitæ actuoſitatem blandè compactæ, leviterque iterùm diſſociatæ, conjunctim, ſeorſim, univerſo corpori admodum utiles ſunt. Mirum iſtius modi commercium vigente ſolidorum tono viget, perverſo pervertitur. Atonæ torpeant fibræ, lentiùſque circumagantur humores, divortium affectat ſeroſus latex, ſanguineiſque ſubductus vaſis gradum jam remeare neſcit; undè noxa duplex. Hinc orbatum diluente ſero craſſamentum infarctus paſsim obſtructioneſque gignit; indè verò ſtagnans in vaſis inertibus ſeroſa illuvies proximè in hydropem vergit.

I I.

HYDROPS vocatur ſeroſi humoris in quâlibet corporis parte collectio præter naturam, ſive rupta ſeri vaſcula in cavitatem qualemcumque depleantur, ſive conſtricta eadem ponè obicem ita turgeant ut laxatæ membranulæ retiformes hiantibus interſtitiis exſudent, ſive diducta arteriarum oſcula, quem humectandis lubricandiſque interioribus corporis membranis parcè, ſed aſſiduò ſtillabant humorem, uberiùs jam demittant; ſive tandem venoſorum obſtructio aut compreſſio huic eidem humori reſorbendo revehendoque obſit; & ſi quæ alia hydropis cauſa proxima, ſolidorum certè infirmitatem fidamque comitem dyſcraſiam fluidorum arguit univerſalis eſto vel particularis, protopathicus vel deuteropathicus hydrops, nunquam non cauſis debilitatem inducentibus ſupervenit. Si enim univerſalis atonia fibrarum adſit, effuſum vaſis ſerum, omnes æquo jure partes inundat, generalemque conſtituit hydropem, pallor ubique, ubique frigus. Si quæ pars detur cæteris ex ſe infirmior; hìc ob minorem reſiſtentiam facilè determinatâ ſtagnatione exurgit particularis hydrops, ſiccitaſque reliquo in corpore conſpicitur, non ab erethiſmo ſolidorum, ſed à defectu ſeri unum in locum undequâque collecti ritè deducenda. Larvatam quodammodo laxitatem facilè prodit muſculorum inertia, viſcerumque languor, nulla enim non fatiſcit functio. Protopathicum hydropem accerſere ſolent laxa corporis conſtitutio, cænoſus humiduſque aër, alimenta dyſpepta, acrium fermentatorumque liquorum ingurgitatio, nimiuſque aquæ potus, vitia humorum ſenſim nata, aut ipſi degenerès, uno verbo quæcumque debilitatis labem inurunt corpori. Deuteropathicus hydrops magnis vulneribus, aut hæmorragiis, menſtruorum profuſioni, aliiſve evacuationibus immodicis, denique diuturnis acutiſve morbis ſupervenit, quibus graviſſimè concuſſum fuerit corpus, fibræque vehementiùs diſtractæ.

I I I.

NUNC jam tria perſpicuè indicat curandus hydrops; effuſas in cavitates aquas indè educendas; humoribus ſuam craſin fluxilitatemque reſtituendam, debilitatorum viſcerum labem tollendam, ſive ea hydropis cauſa tantummodò, ſive etiam effectus fuerit. 1°. Aquæ in cavitati-

bus congeſtæ indè educentur vel paracenteſi, vel per emiſſaria nova, ſcarificationibus, cauſticis, veſicantibus, ſetaceis facta, vel urinæ viâ, diureticis prudenter exhibitis, aut per alvum validis purgantibus audaciùs hauſtis, breviorique morâ interjectâ quantum ſatis repetitis; vel denique diſſipatione, per calorem furni, foci, hypocauſti, ſolis, ſalis, arenæ, fimi, ſudore vel diaphoreſi excitatis; tum maximè diætâ ſiccâ, victu nimirum panis biſcocti, cum pauco ſale, pertinacique abſtinentiâ à potu niſi fortè pauxillo vini fragrantis. 2°. Humoribus craſin fluxilitatemque reſtituent frictio, motus muſcularis, blandus calor; cardiaca medicamenta vel ex ſtimulantibus, aromaticis, ſalinis, oleoſis, calidis petita, ſi minùs urgeat ſitis, vel ex acidis gratis ac lèviter aromaticis, ſi vexet ſitis ingens morbuſque cum calidâ febre ſit; imò quàm latè patent roborantium, attenuantium, reſolventiumque claſſes & quæcumque aut vaſa à compreſſione liberare, aut impacti ſanguinis tenacitatem diſcutere, aut vim vitæ intendere apta nata ſunt! 3°. Debilitatorum viſcerum labem egregiè tollunt faſciæ fibras firmantes, corporis exercitia gradatìm aucta, medicamenta tonica, amara, aſtringentia, lenia, debitâ doſi, & in tempore uſurpata, imprimis verò Chalybeata, victus ſiccus, vinum meracum, vetus; abſynthites. Sic enim naturæ vires exſuſcitari, urgeri fluida, atteri, ſubigi, cruda concoqui, noxia expelli, ſecretiones ritè peragi, vigere functiones omnes.

I V.

HINC tandem quid venæ-ſectioni cum hydrope, facilè dijudicandum venit. Propoſitis indicationibus nedum ſatisfaciat ſanguinis miſſio, omnibus & ſingulis adverſatur. Languentium hæmatopoieticorum organorum vitio, deficit jam purpureus ſanguinis latex, vitæ fons & theſaurus; ociùs hunc largiùſque exhaurit venæ-ſectio nimia. Redundantis ſeri ad globuloſam partem proportio ſtupendum in modum increſcit. Inertes fibræ ulteriùs labefactantur; infringitur officinæ chylopoieticæ quod ſuper erat virium, alget magis ac magis infirmum corpus, citoque lapſu ruunt & peſſumdantur omnia. Provida quod aſtruit ratio, hoc idem evincit præpoſtera inconſultorum experentia. Quis unquam hydropicus ſectâ venâ ſanitatem recuperavit? Quot non hydropes invexit venæ-ſectio præter modum pudoremque celebrata? Phlebotomia acutorum morborum aut ingruentium, aut jam ſævientium præſtans remedium eſt, utpotè qui intenſiorem cauſentur ſolidorum in fluida actionem, fluidorumque in ſolida renixum, hydropici vero acutis, & epidemicis quibuſcumque morbis omnium minimè obnoxii ſunt, quippè quos ipſa corporis laxitas, vitæque inertia ab hujuſmodi inſultibus plus juſto vindicet. Quin etiam certiſſimis Medicorum obſervationibus omninò conſtat ſuperveniente febre epidemicâ redemptos ab hydrope, ægrotos nonnullos, contrario contrarium morbum ſanante.

V.

CATAMENIIS ſuppreſſis non rarò ſuccedit hydrops. Ergò ne huic venæ-ſectionis ope ſuccurrendum? Abſit. Hydropi viam ſternit

catameniorum ſuppreſſio, dum functiones omnes interturbat, ciborum concoctionem vitiat, chyli aſſimilationem præpedit, elaborationemque ſanguinis, quibus quidem in integrum reſtitutis morbum ſuperare datur, ſectâ-venâ potiùs obfirmandum. At, inquies, aſciti non raró ſupervenientes hæmorrhagiæ narium, nonne plethoram ſanguineam arguunt & venæ-ſectionem manifeſtè indicant ? In promptu eſt reſponſio. Ingenti mole compreſſis abdominalibus vaſis, versùs ſuperiores partes quantus quantus ſanguis neceſſariò derivatur, labefactataque vaſa facilè diſrumpit, at funeſtæ ſemper tales hæmorrhagiæ, certa potiùs imminentis exitii indicia ſunt, quam ſalutares naturæ medicatricis criſes, aut exempla ad imitandum propoſita. Quod ſi etiam objicias hydropi ſupervenire interdum ejuſmodi morbos qui venæ ſectionem requirant ; non equidem diffitemur, interim verò maximè attendendum coïncidentibus hiſce malis, non ipſi hydropi curando opportunam eſſe ſanguinis miſſionem.

Non ergò hydropi, Venæ Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis-Maria de Gevigland, Actûs Præſes.	*M. Jacobus-Franciſcus le Chat de la Sourdiere.*	*M. Hiacynthus-Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.*
M. Franciſcus-David Heriſſant, Regiæ Scientiarum ac Humaniorum Litterarum Academiæ Andegavenſis Socius; necnon Chirurgiæ Profeſſor Vicarius.	*M. Joannes-Franciſcus Iſez.*	*M. Joannes-Franciſcus Couthier.*
M. Antonius Bergier.	*M. Carolus-Franciſcus Boutigny des Preaux.*	*M. Michaël Procope-Couteaux.*

Proponebat Pariſiis HUGO CAPET, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H, 1748, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1747.